



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hierakosophion

Demetrius <Pepagomenus>

Lvtetiae, 1612

xlij. Remedium ad quemuis ictum oculorum accipitris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12846

mortario tere, oculosque pinna perunge. Aut melle acapno linito oculum. Aut vitis agrestis cinerem cum pelle aguina tritum pari mensura per pinnam demitte leniter bis die in oculum. hoc efficacius facies, si prius caput accipitris purgaueris præscripto medicamento. ex capite omnem liquorem per nares destillantem detrahit. Aut sume serpentis pellem arefactam, concisam, cribratam, aridam, seruato inclusam, ne exhalatione euanescat, & cum erit necesse, oculo inspirabis. Aut ipsam melli immiscebis, pinnaque oculum illines. Aut panem exustum cum sale ammoniaco conteres, adicies aloen in iocineris spissitudinem concretam, vtere, & purgabis. Aut sepia testam, fœniculi succum, crocum, myrrham, ex æquo misce cum melle, tere, vtere. *Aliud.* Fel caninum, & mel in vnum coacta, illita albugines abolent. Item turturis finus cum melle illitus albuginibus succurrit.

*Remedium ad quemuis ictum oculorum
accipitris.*

Salem ammoniacum tritum oculo inspirabis, deinde exiguo melle, quod

fumo infectum non fuerit, oculum lines.

Ad inflammationem oculorum.

OPOBALSAMO oculum madefacito, & ipsius palatum illinito. Aut oleastri foliorum succus inflammationem reprimit & mitigat illitus. Aut anemone cum dulci vino cocta, oculo illita, inflammationes reprimit.

Ad repentinam inflammationem oculorum.

AD portulacæ succum expressum, admisce opium & crocum, vtrunque quod satis sit, succoque oculos illine. Aut spongiam aceto, mulso tepido imbutam super oculum impone.

Ad fluxiones oculorum adustione reprimendas.

SVBVLA ænea candenti affectæ partis pellem, quæ super oculum est, adure, & ab oculo arcebis fluxionem.

Aduersus oculorum debilitationem.

SOLENT hebescere sæpe accipitrum oculi, vel nimio fumo, vel acrimonia, vel molli pituita, cum defluxio multa &
vehe-